publicorũ cura tangit, nullus functionis affectus, certæ assertioni obstringit. Deinde Leges Imperii fundamentales & acta Comitialia, ex quibus Publici juris prudentia, hauriendа venit, non his modò, qui in Comitiis agunt, sed aliis etiã patere palàm est, ut in illis juncto historiarum studio sese probè instruendi copiam sortiantur. Quid quod etiam ipsi Legati, munere suo fœliciter functuri non in Comitiis demùm jus publicum addiscant, sed ad Comitia antè edocti afferant? Sera enim utiq; & ridicula res foret, tunc publici juris capita exquirere, cùm agendum consultandumq; est, & pro communi utilitate vota ferẽda. Quinimò ne unius quidem hominis ætati tot Comitia contingunt, quot ad parandam istam empiricam prudentiam, si cætera potiora excluseris, desiderabuntur. Itaq; Jurisprudentia publica ex actis Conventuum Imperii, Recessibus aliisvé Legibus fundamentalibus velut ex fonte depromenda est, sic, ut ab accessu ejus propter Comitiorum insuetos usus, etiam alii haud intercludantur. Uti verò in Rebuspublicis, partim interna & magis essentialia, partim externa, quæ alia sc. Regna concernunt, inspiciенda sunt; ita ratio Status pro duplici illo respe-